

45

DESCRIPTIO REGNI NAVARRÆ.



DESCRIPTIO ARRAGONIÆ ET CATALONIÆ.

193

ARRAGONENSES a Tarraconensibus nomen habent, eos Iberus fluuius a Valentinis determinat. Metropolis est *Cæsaraugusta*, Ptolemæo Καὶ Cάρεα' Αὐγύστα; hodie *Caragoça* dicitur: Condita est a Iuba Mauritaniae Rege, Florentibus enim Carthaginensium rebus magnam Hispaniae partem Pœni tenuere: Sita verò ad ripam Iberi fluuij trigesimo quinto milliari a littore Mediterraneo: habetque scholam celebrem: Sunt in eodem regno *Oscæ*, hodie *Huesca*: Est & *Tyriassona* ad montem Caci: & *Iacca* sub Pyrenæis quæ nomen habet a Iaccetanis. Fuit & olim *Bilbilis* in colle, patria Martialis, qui eam *Augustam* vocat, cincta fuit vndique Salone Fluuio. Ipse lib. i. epigr. LXII.

*Municipes Augustamibi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis.*

Est & *Fraga*, inter Ilerdam & Cæsaraugustam & *Gurcea*. CATALONIAM ab Arragonia Cinga fluuius; à Gallia, Pyrenæi montes; a Valentia *Iberus* determinant: sita est ad mare mediterraneum: Nomen habet à *Castellanis*, quos in hoc tractu locat Ptolemæus, vt & *Indigetes* & *Ilergetes*, & *Ceretanos*. Metropolis hodiè est *Barcelona* quam veteres Barcinonem vocauere, Paulino *Barcinu* dicitur, Ptolemæo Βαρκίνων. Inter hanc & Iberi fluminis ostium fuit *Tarraco* potens olim vrbs, opus Scipionum, à qua Hispaniae pars tertia *Tarraconensis* dicta fuit. Ad Iberi ripam est *Dertosa*, quæ & *Ilercaonia* dicitur à populis. Est & *Ilerda* quam nunc *Leridam* vocant, ad *Sicorim* fluuium, qui se in Iberum exonerat. Eam ita describit Lucanus lib. iv Pharsal.

*Colle tumet modico, lenique excreuit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta*

N

Surgit